Bourdaloue Ludov: Exhortatio de dignitate et officio sacerdotum.

Posnaniae Typis Coll. S. J.
1758.

EXHORTATIO
De Dignitate
&
OFFICIO
SACERDOTUM
Dicta ad quandam Presbyterorum
Congregationem
à
R. P. LUDOVICO BOURDALOUE,
SOCIETATIS JESU.
Regio Ludovici Magni Concionatore
Traducta è Gallico
In Latinum
per
P. GEORGIUM DEVIN
Ejusdem Societatis Sacerdotem.
Annno Domini 1758.
Cum Facultate Superiorum

POSNANIÆ

Typis Clari Collegii Soc: JESU.

Exemplar virtutis tuæ, ſpeculum vitæ, quod omnibus proponitur ad Imitandum, veluti archetypus & primitiva quædam Imago, omnia in ſe habens quæ bona & honeſta ſunt.


S. Chryſoſtomus in illud D. Pauli ad Titum Epiſcopum Cretæ: *in omnibus Teipſum præbe exemplum bonorum operum &c.* C. 2. v. 7.

JLLUSTRISSIMO
EXCELLENTISSIMO
REVERENDISSIMO DOMINO
DOMINO,
JOSEPHO
COMITI De VERBNO
PAWŁOWSKI
EPISCOPO NIOCHENSI
ARCHIDIACONO CATHEDRALI &
OFFICIALI GENERALI POSNANIEN:
INSIGNIS COLLEGIATÆ
D. MAGDALENÆ PRÆPOSITO

nec non
LWOWECENSI BŁOTNICENSI &c.
DOMINO & MÆCENATI
FAVENTISSIMO

NON POTERAT FOLIO CANDIDIORE LEGI

Nèót.



Feſta PATROCINII celebrat ſub Nomine magno,
Quæ venit hìc tenuis charta ſacranda Tibi
Sed quæ Te Cleri ſanctam depingit abundè
Ideam, PRÆSUL; conſpicienda venit.
Hoc creſcet titulo, ſimul hôc ſub nomine ſtabit,
Tuta Patrociniô Magne JOSEPHE Tuo.

JLLUSTRISSIME
AC
REVERENDISSIME
ANTISTES.

Celeberrimi Galliarum Prædicatoris Orationem Sacram; è Gallico sermone in Latinum traductam, ut sub Tuo Patrocinio Jllustrissime ANTISTES *in lucem emittam; multæ me, atq; illæ graves impellunt causæ. Argumentum imprimis: Versatur illud ac totum est, in explicanda Sacerdotum; jam dignitate; jam officio. Præfigendum idcirco in prima libelli istius fronte Nomen Tuum Illustrissimum putavi; non solùm ut illicium majus Sacro Lectori facerem ac aspectu ipso suavissimæ JOSEPHI compellationis singulos suo*

Pastorali Vicario regimini subjectos, invitarem ad legendum; sed præsertim ut jam amplissimæ Tuæ Authoritatis clientelâ firmissimo quodam veluti umbone contra malevolorum me tuerer invidiam; jam qualicunq; meo isti labori ex semet forte obscuro Illustrissimis Tuis exCeris, Tuorumq; & Meritorum & Honorum claritudine fulgorem adjicerem atq; publicæ præli luci lucem adderem ampliorem: tum vel maximè quòd virtutum, quæ oratione isthac, moribus Sacerdotum proponuntur effingendæ; absolutissimum in Temet exemplar perbibeas, atq; ita egregiè Sanctissimas Sacerdotii partes sustineas, ut amplissimum Sacerdotale Collegium nova ex tuamet dignitate ornamentorum accessione cumuletur: quô fit; ut dum Ideam Sacerdotii verbîs; quibusdam veluti coloribus informo; vitæ tuæ probatissimæ testimoniô meam validiùs orationem communiam; nihil metuens; ne dum de divini

cul-

cultus loquor ſtudio ignaviam quis putet exprobrari; ſi de continentia, libidinem; ſi de humanitate, arrogantiam; ſi de liberalitate, avaritiam; ſi de cumulatiſſima ſapientia, ignorantiam; cum virtutum iſtarum de Te pervulgata fama omnem ſuſpicioni iſti aditum intercludat; nec Præſul Illuſtriſſime conſpici Te à nobis forma diverſiore unquam facias; quàm qua videri virtutes poſſent me moratæ oculis ſi noſtris fierent aſpectabiles. Eſt & aliud; quo parva hæc opella Tuo geſtit ſub Nomine prodire in lucem. Recitata illa olim in Sacro Galliæ conſeſſu, ejuſdem voluntate ac imperio id enixè peroptantis ut laudatiſſimus ævi ſui Orator; jã in virtutis ſtadio currentes inſtigaret. Vicario Tu defungeris Paſtoris munere; exiſtimavi non injucundum fore; ſi ſanctiſſimarum dotum ſimulacrum quoddam Oratione iſta effingerem; quod ſe in ſingulis pænè Tuo exemplò ac authoritate animatis viſendum

præ-

præbet. Illudne silentio involvam? Exhortatio quod ista cum primùm nasceretur Gallicis; id est patriis excepta sit Liliis: potuitne, dum denuò sub prælo renascitur pagina legi candidiore; quàm Tuis Avitis Liliis? Nolim exaggerare latiùs hanc mihi unam pro amplissimis tuis benefactis persolvendarum gratiarum in me relictam esse rationem; ut quoniam Tuo in Templo divini verbi pro concione explicandi munere defungor, hac exercitatione mea palam commonstrem; Quem mihi, ad officii mei partes cumulatiûs implendas, proponam imitandum. Admitte opellam hanc exiguam; animo quo me ipsum soles benevolo; & in illius dedicatione gratiarum accipe confessionem perpetuam: gestorum ipse Sacerrimorum gloriâ impleturus Fastos. Ita precatur.

JLLUSTRISSIMO NOMINI
& amplissimis
Gratiis
Devinctissimus re & nomine
GEORGIUS DEVIN S. J.

EXHORTATIO
De Dignitate & Officio Sacerdotum.

Sacerdotes tui induantur Juſtitiam Pſal. 131.

HIs verbîs Auditores Sacri Propheta ducit vos unà in cognitionem Excellentiæ Sacerdotii veſtri, & unà quæ partes illius ſint, apertè monet. Idipſum præſtat S. Ambroſius, qui cùm in eodem argumento verſaretur, alloquitur eoſdẽ verbîs cùm eloquentiâ ad exprimendam miniſterii illorum magnitudinem accommodatis, tum inſtructione ad exercenda ſanctè Sacerdotii

iſtius munia, pleniſſimis. *Audite me* (inquit S. Doctor) *ſtirps Levitica, Germen Sacerdotale, Propago Sanctificata, Duces ac Rectores Gregis Chriſti. Audite me* (pergit Idem) *rogantem pariter, ac venerantem; ut cum honoris Vobis prærogativam monſtramus, congrua etiam merita requiramus.* Verba digna Epiſcopô, qui inſignitus honore ſuperiore etiam Sacerdotibûs quos illi Divina Providentia regendos commiſerat inſtruebat eoſdem ut Magiſter, & animi ſui ſenſus, illâ qua præditus erat Authorita-

ritate liberè iisdem exponebat. Ego Auditores Sacri, qui inter vos nec potestatem eandem quæ me à vobis secernat, nec provinciam cum Sancto hoc Episcopo communem sustineo, non præsumam Regulas hic Vobis aliquas præscribere, sed mei ipsius memor, & intra debitos modestiæ cancellos me continens, licitum mihi fore arbitrabor ob oculos Vobis ponere obligationes illas quæ statui vestro necessariis ac magnis de caussis annexæ sunt, quarum ut mihi exactam ideam effin-

gam in mente, sufficiet vitæ vestræ quàm passim ducitis ideam in memoriam revocare. Ita constitutus in animo, cum utar deinceps libertate dicendi, cujus mihi copiam ipsi facitis, non verebor Vobis proponere quinam esse debeatis, sciens quòd cum hæc Vobis proposuero, dicam re ipsa quinam jam actu sitis. Possem hìc equidem sermone ad majestatem composito, & sententiis planè magnificis extollere Privilegia, Dignitatemq́, propè infinitam Sacerdotii novæ Legis Gratiæ, sed

ad hæc ſi forte Oratio mea delabetur, non alio id inſtituto faciam, quàm ut ſtabiliam aſſertionem hanc æquè ſolidam ac veram, nempè: quot ſunt tituli honoris qui attollunt excellentiam Sacerdotii illiuſq́; pretium, tot ſunt etiam rationes & magni momenti motiva, quæ nos obligant ut Sacerdotes DEI Vivi, quatenus laboremus absq́; intermiſſione ulla circa ſanctitudinem vitæ noſtræ, & propriæ perfectionis acquiſitionem. Et quoniam omnes iſti tituli reducuntur ad duas ſpecies Poteſtatis qua-

rum utramq́; exercet Sacerdos ex vi ſui miniſterii: & quarum Prima eſt ut Theologi appellant paſſim: *Poteſtas Ordinis*, Secunda verò ex ejuſdem Theologiæ loquendi modo dicta, *PoteſtasClavium* ſeu *Juriſdictionis* Illa quidem per ordinem ad Corpus reale JESU Chriſti, quod eſt in Sacramento Altaris; hæc verò per ordinem ad Corpus Myſticum JEsu Chriſti quod eſt Ipſius Eccleſia, compoſita ex omnibus Fidelibus. Hac de cauſa ſtatui exponere Vobis apertiſſimè, quàm ſolidam ſanctitatem

tem exigat à Vobis Poteſtatis utriusq́, ratio. Duobus verbîs complectar omnia: Sacri Miniſtri Domini, Sancti ſitis neceſſe eſt, quarenam verò? Tam ideo quia Sacrificium offertis Corporis JESU Chriſti, & hæc Sermonis iſtius Pars Prima erit: Jam: quia Paſtores eſtis Eccleſiæ JESU Chriſti, hæc Pars altera. *Sacerdotes Tui induantur Juſtitiam.* Ecce totum Orationis hujus argumentum.

PARS I. Complexus ſum (ni fallor) totum hoc quidquid ad exprimendam maximè

ximè Dignitatem Sacerdotii dici poteſt, cum dixi quod Iſtud confert Sacerdoti ſpeciem quandam poteſtatis ſuper ipſam Perſonam Salvatoris; ſed unà arbitror Auditores Sacri quòd ſatis dilucidè explanaverim Vobis, propriam, & quàm arctiſſimè Vos conſtringentem obligationem quæ eſt, ut voſmetipſos purificetis continenter, vigiletis ſuper vos metipſos ſinè intermiſſione, & ſuſtineatis dignè per vitam ſanctam, Sanctitatem Miniſterii veſtri.

Offerens ſe metipſum Patri

ſuo

ſuo, DEI Filius geminas in ſe, longè à ſe diverſas, partes recepit: Sacerdotis alteram, & victimæ alteram. In ſacrificiis antiquæ Legis, ut advertit S. Auguſtinus, Sacerdos non immolabat victimam niſi ſibi extraneam, & à ſe diverſam; ſed in ſacrificio novæ Legis DEUS Ipſe eſt qui offert & qui offertur qui offert ut Sacerdos, & qui offertur ut Hoſtia. *Idem Sacerdos & hoſtia* dicit S. Doctor. Unde ſequitur, quòd Salvator noſter ſacrificando ſemetipſum, exercet ſuper adorandam Perſonam ſuam Authoritatem,

Domi-

Dominii plenam, neq́; enim ſacrificari poteſt victima, niſi quis habeat jus ſuper ſangvinem ipſius & vitam. Et indè etiàm eruitur altera conſecutio, quod Idem Salvator cum ſubſtituerit Sacerdotes in locum ſui ad continuandum Idem ſacrificium quod Ipſe obtulit in Cruce, eo ipſo tranſtulerit in Illos jus idem ſuper Sanctam Humanitatem ſuam, quòdq́; juſſerit illos uti hoc jure planè Divino, & quòd ideò illos Sacerdotes conſtituerit. *Hoc facite in meam commemorationem.* Hac poſita

tan-

tanquam veritate certissima, idq; in fundamento Fidei Religionisq; nostræ Christianæ, fidem vestram Auditores Sacri! estne præter sanctitatem DEI Sanctitas tam excellens quæ respondere possit ex æquo honori Ministerii adeò eminentis? Hic est à Divina Providentia ordo constitutus & hæc dispositio, ut qui potestatem habet super alium, prærogativam aliquam etiam & perfectionē illô majorem habeat. At si comparatè ad Jesum Christum Filium DEI & verum Deum miseria nostra propè infinita

&

& conditionis noſtræ vilitas, ordinem ejuſmodi excellentiæ irritum vanumq́; nobis reddit, nosq́; illius incapaces; at ſaltem non diſpenſat nos quatenus conemur diminuere, quantum nobis conceſſum eſt, & quantum à noſtra cura id dependet illud diſcrimen quod intervenit inter DEUM Hominem, & nos miſeros. Saltem omnino enitendum nobis eſt, ut ſicut Chriſtus Dominus non præfixit limites datæ nobis Poteſtati, ita nullos nos ſtatuamus Sanctitudini noſtræ: ut indignitati illi quæ nobis

com-

communis eſt cum omnibus hominibus, non adjiciamus inſuper peculiarem nobiſquè ipſis propriam, & quòd ſi prior ſecundùm naturam nobis innata eſt, non fiat eadem voluntaria, per morum noſtrorum pravitatem.

Verum equidem eſt quòd ejuſmodi poteſtatem non habemus aliter, niſi inquantum ſumus Vicarii Jesu Chriſti, & inquantum repræſentamus Eundem Chriſtum Dominum à Quo Poteſtas hæc primitus emanavit, at hoc ipſum oro quantam obligationem im-

ponit

ponit nobis? Nam ut Persô-nam quis repræsentet JESU Christi necesse est ut similitudinem aliquam habeat cum JESU Christo, porro quàm monstrosa hæc indecentia ut Sanctus Sanctorum repræsentetur per peccatores? Hoc itaq; planè est quod mihimetipsi dico, & quod dicere debeo dum ad Altare accedo, disponens me jam & accingens ad celebrandum tremendum maximè præ omnibus aliis Mysterium: en jam proximè locum DEI tenebo, non ut delegato mihi solùm mune-

re defungar, non ut declarem tantùm voluntatem hanc quā habet immolandi ſe Deo Patri, ſed velut ſi Ille ipſe in me reſideret, aut ſi ego in illum eſſem transformatus! En jam pergo, ut ſic planè loquar ut Ille, ut agam ita ac ille, ut operer idem Sacramentum quod Ille, & cum Illo, ut conſecrem Idem Corpus & Eundem Sangvinem Illius! Quod & quantum dedecus ſi conſputare auderem peccatô meo tam Sanctum Miniſterium, & ſi Sanctitas Salvatoris mei tantâ afficeretur contumeliâ per

ini-

iniquitatem Miniſtri ſui! Omnes hi quos Salvator ſpecialiùs delegerat ut vi Miniſterii ſui quandam cum Illo communionem haberent, fuerunt Sancti. Joannes Baptiſta ut Illius Præcurſor eſſet, Sanctificatus fuit ex utero Matris ſuæ. Joſephus ut Cuſtodem Humanitatis Ipſius ageret, virtutibûs cumulatus fuit & meritîs. Oportuit Apoſtolos confirmari in Gratia, & Spiritu Cæleſti repleri, quatenus Prædicatores fierent verbi Illius. Quem itaq; me eſſe convenit inquantum ſum Vicarius & Agens

Agens ſive Perficiens omnium maximè reverendum Sacrificium? Demùm licèt Sacerdos in perficiendo hoc Sacrificio partes gerat nonniſi JESU Chriſti, certum nihilominùs eſt, quòd Idem Chriſtus JESUS ſubdat ſe Illi, ſubjiciat, & promptiſſimam ac exactiſſimam præſtet eidem ſuper noſtra altaria quovis die obedientiam. Niſi fides doctrinâ ſuâ certiores nos redderet de Veritatibus hìc expoſitis, an non viderentur illæ intellectui noſtro fictiones ac commenta & quo fundamentô (excepta

hac fide) imaginari nobis possemus tantam submissionem. Veri DEI? Unquamne nobis in mentem veniret: quòd purus homo possit aliquando tantæ elevationis sui gradum attingere, & ejusmodi insigniri charactere qui illum constituat in statu (si tantum dicere audeo) eminentiæ cujusdam super supremum Dominum suum? adeo quidem, ut Eundem de cælo faciat in terram commigrare? Utiq; non sinè admiratione legimus id quod refertur in Evangelio: quòd JESUS obediens fuerit

MARIÆ. *Et erat subditus illis.* Quamvis minor possit videri admirationis materia hæc in parte: ex eo quòd JESUS Filius esset MARIÆ & quòd natura videretur potestatem quandam dare Matri huic super filium suum. Quidnam verò est Sacerdos & quam appellationem habere potest comparatione DEI sui, quæ affinitate quadam arctissima non cohæreat appellationi servitutis? Interim ad vocem servi hujus, mancipii hujus; Majestas Divina die quovis descendit de Cælis ut se humi-

liet in Sanctuario, & totam ſuam inibi includat gloriam! Ecce Auditores Sacri munus, cui implendo deſtinati eſtis: ſed advertite oro, & eandem ſemper inferte Vobis conſecutionem, ſi requiruntur qualitates eminentes ideſt eximia dona, quatenus exerceatur poteſtas legitima ſuper homines, quid tandem requiritur ad illam poteſtatis amplitudinem quæ ad DEUM Ipſum extenditur?

Iſtud conſiderans Auguſtinus, exclamat: *O Veneranda Sacerdotum Dignitas*! Sed quam

quæſo rationem hujus affert S. hic Doctor? Meretur ſanè illa attentionem veſtram ſingularem. *In quorum manibus velut in utero Virginis, Filius DEI incarnatur!* Figurata equidem hæc expreſſio, cujus tamen ſenſus non ideò minùs ſolidus, reiq́, veritatem minùs continens eſt. Exindè quæ iterum inferenda concluſio? Quòd charitas Filii DEI immenſa ſit, nec habens terminum? Hæc ab omnibus inferenda exindè conſecutio. Quòd nihil magis veneratione dignum ſit Sacerdotali mu-

nere? hanc illius ideam concipere hinc debet populus Christianus. Sed potissimum; quòd munus hoc cunctis supereminens obstringat Sacerdotes ad vitam planè Angelicam; istud est quòd Sacerdotes ipsimet concludere hinc debent, causâ capiendi inde morum exempli optimi.

Audite, oro Vos, Auditores Sacri, Ejusdem S. Augustini argumentationem solidam scribentis ad Fratres in Eremo. Maximum obstaculum intentioni Divinæ circa Incarnationem VERBI fuit impuritas

naturæ noſtræ. Verum quid adinvenit amor DEI? Ut impedimentum iſtud tolleret prædeſtinavit ante omnia ſæcula Fæminam, ſive potiùs Puritatis Miraculum ut eſſet Mater DEI Hominis. Separavit Illam à communi perditionis maſſa, & undequaq; Sanctam conſervavit in corruptione ipſa. Neq; ſatis iſtud habuit, mutavit totum ordinem & leges communes naturæ, effecit prodigiô ſingulari, ut Virginitas ſubſiſteret cum Maternitate, id eſt ut Virgo Mater fieret, & Mater Virgo eſſe non

ceſſaret. Quis ſimile quidpiam audivit unquam? Sed patratîs hîs omnibus prodigiîs quæ ſanctificârunt MARIAM, noſtiſne quem ſenſum nihilominus tribuat hac de re Verbo Divino Eccleſia, cum magnum illud ſalutis noſtræ Myſterium re ipſa adimpleri debuit? En ſupponit Illa, multùm ſe dixiſſe, cum in hymno ſuo hac de ipſa re canit, quòd VERBUM non abhorruerit inhabitare ſinum Virginis: *non horruiſti Virginis uterum!* Nonne verò hic ille ipſe eſt DEUS, Qui deſcendit ſuper noſtra al-

taria, & Quem Sacerdotes suis tractant manibûs? Nonne hic Ipse æquè semper Sanctus ac peccati inimicus? an non ipsius complacentiæ objectum munditia est æquè nunc, ac fuit ante? Cur itaq; non eadem patravit miracula ut Sanctificaret sibi illos qui huic cooperantur mysterio? nempè: ut Illis integritatis tanto Mysteriô dignæ, acquirendæ conservandæq; obligationem pariter imponeret, ac meriti campum relinqueret: ut considerantes nempè ad quantam Ministerii excellentiam elevati
sunt,

ſunt, confundantur in ſemet-ipſis quòd tam longè à Sanctitate ejuſdem Miniſterii diſtent, & hanc ipſam comparare, continuò allaborent.

Sed quid hic paſſim uſuvenire ſolet? Permittite ut ſenſum meum paulò Vobis enucleatiùs hìc aperiam Auditores Sacri. Nihil equidem hìc proferam in medium quod non æquè Vos ipſi advertitis optimè, ac adverti ego, quodquè non minori Vos dolore, ac me efficiat, pariq; de cauſa, unà mecum exerceat Veſtrum zelum: Quid inquam hac in

par-

parte accidit? Non rarò Viri Sacro Altaris Ministerio consecrati, separant honorem Sacerdotii à munere & onere Sacerdotii, & duabus ex rebus arctissima necessitudine secum colligatis assumunt illam, quæ favet avaritiæ, ambitioni blanditur, & interim dispensant se ipsos quo minus partem alteram amplectantur, quæ illos obligat ad reformationem morum & vitæ Sanctitatem. Quam, hac in re perturbationem Ordinis deplorare satis non possumus, cùm potissimùm malum hoc

de

de die in diem magis ſerpat, magisq́; in medio Religionis Chriſtianæ commune fiat: adeò quidem, ut ad præſens, Sacerdotalem ſtatum, omnibus hominum cupiditatibus obnoxium eſſe videamus. Illum Parentes aliqui tanquam portionem melioris fortunæ filiis ſuis deſignant, ſorte omni aliunde deſtitutis; voluntq́; medium eſſe quô prolis ſuæ, ſublevetur egeſtas, maximè ſi numeroſa familia eſt illis oneri. Pauperibus fortuna omnis Sacerdotium fit, hac illi veluti baſi ſortem ſuam collapſam

psam erigunt juxtà ac susti-
nent. Divitibus Sacerdotalis
status via complanata est quâ
ad sublimiores honorum gra-
dus pervenire possint. Inde
quot videre est Sacerdotes
Mercenarios, lucro & nego-
tiis sæcularibus intentos? Sa-
cerdotes ambitiosos, Sacerdo-
tes vanos & arrogantes? Sa-
cerdotes otio & vanitati dedi-
tos, Sacerdotes planè ex inte-
gro mundanos? Suppono Au-
ditores Sacri quòd non istud
mihi vertetis vitio, neq; of-
fensæ alicujus inde capietis
ansam, quòd nempe hanc mo-

ribus apprimè servientem exponere cogitationem aggrediar, quæ meipsum mihimetipsi statuere ob oculos videatur, & ex cujus expositione par est nos omnes fructum capere. Itaq; resumamus singula.

Sacerdotes ajo mercenarios lucro & negotiis sæcularibus intentos. Non ego equidem ignoro D. Pauli Doctrinam; justa hæc est planè & rationi consona, ut qui altari servit, de altari vivat. Quod Minister Domini satisfaciendo muneri Ministerii sui recipiat retributionem illam quæ huic

muneri aſſignata eſt, iſtud eſt quod Eccleſia approbat, quodquè ego condemnare non poſſum absq́; ſummæ temeritatis nota. Sed ut in functionibus Miniſterii ſui adeo præcellentibus & Sacris, Sacer hic Miniſter nihil aliud intendat niſi mercedem, quam inde percipit, ut illas non alio exerceat intuitu, quàm retributionis intuitu, ut non aliunde illas æſtimare videatur quàm propter hanc annexam mercedem, ut exinde venalibus ſuis omnibus laboribûs mercenarium quæſtum exerceat, utq́; ſi quando

do ejuſmodi retributionem aut penitùs deficere aut diminui contigerit, paratus ſit munia ſua negligere, manum etiam de tabula movere, iſtud eſt: quod tòtaEccleſia reprobat quodq́; ego, ut par eſt ſatis reprobare non poſſum. Nam hinc provenit infelix illa origo tot contemptionum Sanctiſſimi omnium Myſterii! Inde fit quòd perſolvatur res Divina absq́; devotionis ſenſu, absq́; unctione Spiritûs, ſæpè ſinè præparatione prævia, & ſinè præparatione maximè neceſſaria, nempe ſinè cordis a-

ni-

nimiq; munditia. Habetur enim quod intendebatur potissimum celebratione Sacrificii, cum non vacuis manibûs receditur ab altari. Nam reliqua omnia per modum appendicis Sacerdotibus ejusmodi erant; istud verò intentum fuit principale.

Sacerdotes (ajo) ambitiosos. Sunt in Ecclesiastico statu Gradus ejusmodi quos nemo valet ascendere, nisi prævio Sacerdotiô. Istud est conditio omnino requisita ad obtinendum hoc vel illud Beneficium, ad perveniendum ad

hanc vel illam dignitatem. Itaq; suscipiendi sunt Sacri Ordines, & sanè re ipsa suscipiuntur, quarenam verò? ideone ut acquiratur pretiosus honor offerendi Sacrificium Corporis & Sangvinis Christi JESU? De hoc quidem cogitatur minimè, & si Sacer Sacerdotii character id unum nonnisi importaret secum, nulla multos illius suscipiendi cura tangeret, ac cupiditas. Sed alteri præterea rei utili & commodæ certò obtinendæ hac viâ inservire potest idem sacer character, & hujus habendæ

er-

ergò, Collegio Sacerdotum nomen perlibenter datur. Itaquè Sacerdotii gradus conſcenditur, non cum ambitione tantùm, ſed nonniſi propter ambitionem, propter aſſequendum id quod votîs omnibus exambitur. Ubi verò ad votorum ſuorum cumulum perveniſſe ſe videt Sacerdos bonus, ubi conſtitutum ſe jam conſpicit in illo termino ad quem aſpirabat unicè; tum obliviſcitur penè Sacerdotalis muneris cùm hoc illi nullius jam frugi ſit. Labuntur quandoq́; menſes, vix non anni in-

tegri absq; ullo fere Sacerdotalis Officii exercitio. Vivitur eorum more quos vitæ conditio à tam sublimi ministerio longiùs removit, & utinam istorum saltem piorum vereq; Christianorum viveretur in morem! Heu! quò devenimus, quibus quàm angustis tenetur cancellîs amplissimi Sacerdotalis Ordinis munus amplissimum! Brevis cui assistunt Missa, & cui tantùm præscriptis per Ecclesiæ Præceptum diebûs assistunt, sæpè totum est, quod de pietate ac religione adhuc retinent.

Sa-

Sacerdotes (ajo) vanos & præſumptione plenos. Equidem JESUS Chriſtus nihil adeò commendavit Apoſtolis, Qui primi fuerunt novæ Legis Sacerdotes, quàm Humilitatem. S. Petrus nolebat ut Miniſter Eccleſiæ quæreret dominari in Clero, multò magè ut quærat dominari in mundo. Sed poſt JESU Chriſti & S. Petri tempora ſpiritus hic dominandi, adeò vehementer in Collegio Sacerdotali invaluit, ut illius coërcere impetum planè ſit difficilè. Ex quo hic & ille factus eſt Sacerdos, unà

factus est rebus in illis quæ se suumq́; honorem concernunt sensus perquam teneri, mollis, & maximè delicati, & hic ipse qui in ea in qua natus est conditione vitæ omnem conservasset statui suo convenientem modestiam, non citiùs deserere hanc cæpit, quàm ex quo indutum se vidit veste illa quæ magis etiam modestum & humilem debebat illum reddere. Ex quo factus est Sacerdos arrogat sibi jus judicandi de omnibus, præferendi judicium suum omnibus & super omnia. Ad exem-

plum

plum illorum Pharisæorum. qui volebant nè vulgus appropinquaret ſibi, tractantur ab ejuſmodi Sacerdotibus reliqui homines ut profani exiguntq́; ab ipſis illam ſibi præſtari reverentiam, quam longè meliùs conciliarent ſibi, ſi minùs illi attenderent, & non tam ejuſdem ſe eſſe cupidos manifeſtè proderent. Scio equidem quô ſe hac in parte obtentu tueri ſoleant iſti ad ſpeciem religioſi Viri, ut jure merito id ab illis exigere videantur. Non meam (ait hic & ille Sacerdos) Perſonam honorari volo, ſed

muneris mei rationem haberi. Speciosa enim verò hæc distinctio: sed perquam illusioni obnoxia. Nam in hac tam arcta unione Ordinis cum Persona, quidquamne faciliùs aut magis ordinariè usuvenire solet quàm confundere unum è prædictis cum alio: & nonne in mille occurrentibus circumstantiis posset majori cum veritate inverti prædicta propositio diciq; planè sensu contrario: hic honor non muneri, sed personæ meæ ut præstetur, volo. Quidquid tandem hac de re sit. O! Sacerdotes, nunquam

quam aut Persona Vestra aut Character Sacer majori apud homines in veneratione erunt, quã tunc dum non tanto cum ardore animi ad extra etiam se prodente exigetis ab illis reverentiam Ordini Vestro ac Characteri debitam. Licitum Vobis utiq; est tueri prærogativas Sacerdotii Vestri, defendere Illius Privilegia; at quo minùs hæc in Vestri gratiam proferetis in medium, eo minùs à quopiam isthæc disputabuntur Vobis.

Sacerdotes (ajo) otio & voluptati deditos. Modò satis-

faci-

faciant officio Divino quod tamen decurtant quantum possunt, recitantq́, perquàm perfunctoriè, jam ad nihil amplius se teneri putant, creduntq́, se ab omni onere liberos. In quo enim reliquæ diei horæ insumuntur? Nulla orationis praxis, nullum Divinarum Scientiarum studium, rusticationes apud amicos frequentes, conversationes inutiles, variorum ludorum tractatio, vita mollis & ideò vita periculosissima, quia vita illis scopulis obnoxia in quos otiô duce impingere est facilè. Otium enim

enim origo eſt plurimorum malorum in omni hominum ſtatu: & ſi vellem hic recenſere mala illa omnia quorum cauſa fuit & eſt adhuc in ſtatu Eccleſiaſtico, deplorandam ſanè Vobis triſtemq́, rei hujus proponerẽ ob oculos imaginẽ. Enimverò quodnam medium eſt ut Sacerdotes nihil agentes in medio ſæculi conſtituti retineant integritatem ſtatûs ſui profeſſioni propriam? Solitarius ſolitudinem ſuam habet, Religioſus clauſtrum pro muro contra peccandi occaſiones, tentationesq́, interim neq́,

neq; ſolitudo nec clauſtrum ſufficiunt ad præſervandum à malo tam hunc quàm illum, & ſinè adjutorio, obſervationũ regularium, quibus ſatisfaciendo totius diei tempus per partes exigunt, necdum ſe ſecuros crederent, nec re ipſa eſſent. Quid tandem fiet cum Sacerdote ſibi ipſi relicto, ſui ipſius & actionum ſuarum Domino, qui quem intueatur non habet alium niſi cordium Inſpectorem DEUM, cujus oblivio facilè in animum induci-tur, neq; frænum quo retineatur habet aliud præterquam mu-

muneris ſui debitum, cujus iti-
dem facilè memoria deponi-
tur.

Ad extremum Sacerdotes
(aio) illecebrîs vanarum oble-
ctationum captos planè ac ir-
retitos, viventes in motu per-
petuo proceſſuum, litium, cu-
rarum quibus quandoq́; ſe i-
pſos opprimunt ſive in grati-
am commodumq́, ſui, ſive ſu-
orum affinium. Sacerdotes in
ſuis moribus, conſvetudinibus
nihil Sanctum pollicentes, vi-
tæ deliciis impensè deditos,
volentes adeſſe omnibus con-
venticulis, ludis, jocis, à ſuo
San-

Sancto Ministerio alienis. Sacerdotes in ipso modo procedendi ac conservatione cum proximis, volentes secerni ab aliis per quendam corporis orisq́; habitum, gestus inconcinnos, spiritûs dissipati indices, per verba indecora; per excessum lætitiæ & ineptam agendi libertatem, de quibus ut illi quidem sibimetipsis adulantes credunt facilè, applaudit illis mundus, & ex quo ipso agendi modo falsum sibi volunt comparare meritum. Sacerdotes in ipso vestitu superstitiosos, idverò quonam modô?
Per

Per nimis exquisitam vestitûs decentiam, compositionem, luxum ipsum, quæ omnia componere volunt in quantum valent cum simplicitate Evangelica! Ah Domine! istine verò sunt Ministri tui quos Tu specialiter consecrasti? Istine sunt Vicarii Potestatis tuæ & ejusmodine manibus voluisti concredere Corpus Tuum & Sangvinem?

Pro pudor Religionis Christianæ! aut dicamus potiùs heu quantum illorum probrum qui sic summa ignominiâ afficiunt ac dedecore quid-

quid ſumma veneratione di-
gnum eſt in Religione Chri-
ſtiana! Dum lego ea quæ re-
fert S. Auguſtinus de quibu-
ſdam Sacrificulis falſorum De-
orum Æthiopiæ, aut illa quæ
S. Hieronymus exprobrat Jo-
viniano circa mores Sacerdo-
tum Ethnicorum Ægypti: &
ubi ſuper hæc mentem refle-
ctens conſidero, quòd Infide-
les illi vitam adeò auſteram,
rigoroſamq; ducerent, eo fine
ut æſtimationem populi poſ-
ſent conſequi authoritatemq;
ſibi conciliarent apud vulgus:
miſeratio me ſanè capit cæ-

citatis illlorum! At dum hanc deploro cum S. Augustino, longè magis defleo cum hoc Ipso Doctore S. miseriam nostram in eo quòd Infideles doctrinam nobis præscribunt, quam à nobis accipere deberent! O! *grandis Christianorum miseria* (exclamat S. Doctor) *ecce Pagani, Doctores Fidelium, facti sunt.* Quæ isthæc mira societas an commixtio rerum, ait S. Ambrosius quomodonam simul componi poterunt res adeò sibi oppositæ, eminentia Dignitatis & vitæ imperfectio, professio planè Divi-

na & modus procedendi ſce-
leratus? *Honor ſublimis!* (ver-
ba ſunt Mellifluí Doctoris) *&*
vita deformis, deifica profeſſio,
& illicita actio. Abuſus ſanè
grandis de quo tam amarè nec
ſinè gravi cauſa conqueſtus
eſt S. Bernardus Pontifici Eu-
genio *Altiorem unumquemq́;*
non meliorem eſſe delectat. In-
terim vera Dignitas, potiſſi-
mùm vera Sacerdotii Digni-
tas in Sanctitate ſita eſt. Sub-
trahe illi fundamentum hoc,
& evertiſti illam. Retroactis
ſaltem temporibus fulciebatur
Sacerdotii Dignitas nobilitate
ge-

generis. In Legæ naturæ Jus Primogeniti, titulum administrandi Sacerdotii tribuebat: in Lege Moysi Prærogativa hæc annexa erat Tribui Levi. At in lege Gratiæ in qua sinè acceptione Personarum Sacerdotes ad hæc admittunturMysteria, Sanctitas maximum est Sacerdotii Decus & ornamentum. Sanctitas requisita, habitâ non sola duntaxat ratione Potestatis Ordinis quâ Sacerdos præditùs ut Sacrificans Corpus Christi, sed insuper spectata ratione *Potestatis Jurisdictionis* quam exercet ut

Paſtor Eccleſiæ Chriſti Jesu. Renovate hìc (oro Vos Auditores Sacri) attentionem veſtram ad excipiendam aure benevola hanc alteram Diſcursûs hujus Partem.

PARS II. Non caruit effectu ſuo vox illa Chriſti D. quâ dixit Apoſtolis ſuis: *Quodcunq́, ligaveritis ſuper terram, erit ligatum & in cælis: & quodcunq́; ſolveritis ſuper terram, erit ſolutum & in cælis*: SS. Patres & Scripturæ S. Interpretes exiſtimant quòd his verbîs Chriſtus D. ſubjecerit Sacerdotibus in Apoſtolorum Perſona,

ſona, totam ſuam Eccleſiam, quòd Illis tradiderit poteſtatem quæ ſe extendit ſuper omnia membra Corporis Myſtici Ejuſdem Salvatoris, & quòd nullus ſit in Mundo ſive Rex ſive Monarcha qui huic Juriſdictioni ſubjectus non ſit; quæ tam eſt ſuprema, ut eſt in omnes univerſalis.

Vultiſne Auditores Sacri ut Vobis rei hujus imperfectam licet proponam ob oculos ideam? Concipite mente hominem quempiam qui è mediocris fortunæ ſtatu & obſcura naſcendi ſorte, uno fer-

me ictu ſublevetur ad primum Miniſterii Gradum in ampliſſimo quopiam Regno idq́; pura liberalitate Domini ſui, qui hac ratione palam vult declarare potentiam ſuam in elevatione ejuſmodi ſubditi ſui: *Eſth. 6. Sic honorabitur quemcunq́; Rex voluerit honorari.* En jam hominem Illum, rerum omnium arbitrum; & primi momenti negotia, non aliô niſi illo tractantur adminiſtrô, Ille diſpenſat Favores Principis, ille præmia deſignat ac ſupplicia, verbô: hic eſt, qui beatos miſerosq́; quos vult, facit.

Man-

Mandata Illius excipiuntur ut ſupremæ Authoritatis juſſa; quæcunq; ſunt negotia Principis, illius unius fidei commiſſa ſunt. Si rebellis quiſpiam, ſi Majeſtatis læſæ reus veniam criminis obtinere velit, ad hunc Mediatorem confugiat, eſt neceſſe: & ipſius deprecationis efficacitate vel maximorum reus ſcelerum, momentô unico, antiquo juri ſuo ac privilegiis (quibûs exciderat) reſtituitur. Unquamne, auditum eſt ſimile huic quidpiam? favor ſimilis authoritaſq́ Miniſtro cuipiam permiſſa à

Principe? & magna licet illa Amani potentia de qua nobis refert Sacra Pagina, necquaquam authoritati ejusmodi qualem hìc nobis formamus cogitatione, accessit aliquando. Nec mirum istud cuiquam videri debet, nam Principes hujus sæculi cum cancellîs certis circumscriptam potestatem suam habeant, nunquam sunt adeò inconsultè in illa deleganda Ministris suis profusi, ut nihil sibi ex eadem reservando, integram ipsis communicent. At longè aliter se res habet cogitatione,
ad

ad Deum converſa. Cum illius Poteſtas ſit infinita planè, poteſt Deus nihil illi derogando, ejuſdem participem facere quemcunq́, voluerit. Porro poteſtatem hanc totam ferme (ut ſic dicam) depoſuit DEUS in ſuorum Miniſtrorum manibus. Et hæc eſt pulchra ſanè animadverſio S. Chryſoſtomi in ſuis doctis Commentariis de Sacerdotio. Quam admiranda res iſta! *Servus ſedet in terra* (inquit Doctor Aureus) *& Dominus ſequitur ſententiam. Et à terra judicandi formam Cælum accipit.* Et id quidem

adeò

adeò verum eſt ut quod addit S. Cyprianus, Sacerdotum Judicium ſit *anticipatum Chriſti Judicium.* Et quidem Sacerdotale Judicium, iſtud habet inſuper privilegium, quòd conferat gratiam, peccata deleat, peccatores convertat in Sanctos, quod ſanè non habebit, ultimum illud Judicium quod feret Salvator mundi in fine ſæculi.

Ecce Auditores Sacri iſtud eſt Miniſterium Reconciliationis quod Vobis commiſſum eſt. Vos Delegati Judices Ipſius eſtis, & ſi tantum audeo

dicere Vos Illius Legati cum authoritate estis ad concludendam Pacem illam de qua agitur inter Cælum & terram, inter DEUM offensum, & hominem peccatorem. Ad vos Creator mundi remittit causas & negotia sua, Vobis longè potiori titulo dicit quàm Prophetis: *Isa: 5. Judicate inter me & vineam meam.* Hic homo peccator est, offendit me, læsit gloriam meam, possem equidem ipsemet illum judicare, verùm penes vos summam rei & arbitrium relinquo. Quantumvis inimicus sit mihi,

hi, amici loco illum habebo, si talem vos esse illum declaraveritis. In hoc Reconciliationis Illius negotium vertitur ut dignum se præstet absolutione, à Vobis illi danda, hoc ipso temporis punctô quò illi remiseritis & ego offensam meam remitto illi, omnes cæli Portæ quæ illi hactenus clausæ fuerant, aperientur illico ut ipsum recipiant. Hoc inquam modô Ministri Jesu, Deus Vos alloquitur, & hac ipsa de causa laudibûs Illum extollere debet Ecclesia adinstar fidelis illius turbæ de qua

legi-

legimus in Evangelio. *Matth: 6. Et glorificaverunt Deum qui dedit potestatem talem hominibus.* Nam ex ratione potestatis istius absolutæ dici potest quòd quiquid Sanctum & maximè Sacrum est, Vestræ dispositioni commissum est. Gratiæ Divinæ inæstamibilium divitiarum thesauri sunt, quas nobis pretiô Sangvinis sui Salvator mundi comparavit, sed Vos Illarum Dispensatores estis. Vos animabus primam confertis Innocentiæ stolam, si hanc deperdant illi, Vos eandem ipsis restituitis, Vos panem

nem vitæ illis tribuitis quô æternam alantur in vitam, Vos illos, in vias æternitatis, dirigitis, & usq; in sinum DEI deducitis.

Jam hîs expensis mirumne deinceps alicui videri poterit quòd summi etiam Monarchæ Orbisq; Domini observantia singulari, peculiariq; reverentiâ Saecrdotes prosecuti fuerint quòd Constantinus regali insignitus purpurâ, inter Patres Concilii non ausus fuerit sedere Primus? Quod Imperatrix pia honori sibi duxerit, & merito quidem inservire ad mensam

ſam Sancto Præſuli? Nequaquam Auditores Sacri hæc admirationem ſingularem cuiquam afferre debent. Omnium ego horum rationem facile aſſequor: eâ nempe reverentiâ proſecuti ſunt Sacerdotes, Monarchæ, nam Fides illos in ea figebat cogitatione, longè majori Dignitate præditos eſſe Sacerdotes: quàm hæc fuerit, quâ illi in ſæculo eminebant. Aſt quod me in ſtuporem rapit, quodq́; excuſationi meæ vias omnes intercludit, iſtud eſt: quòd Sacerdotes adeò dignitate munereq́;
ſuo

ſuo à reliquo hominum vulgo longè ſecreti, Angelica munditiâ non ſint conſpicui, aut illam conſequantur, minimè allaborent. Nam in omnibus his præcellentiæ illorum gradibus tot ego tantaq́; conſidero Sanctitatis eximiæ incitamenta ut planè ignorem quônam illi magis prægraventur: an honorum Sacerrimorum pondere, an graviſſimarum ſibi impendentium obligationum onere.

Expendamus iſtud nominatim. Quomodonam oro, hominum quiſpiam, poteſt in ſe-

ſemet recipere partes Miniſterii adeò Sancti, quale eſt reconciliationis peccatorum cum DEO, ſi ipſimet inimicitiæ acerbiſſimæ cum DEO intercedant? Hæc planè erat ratiocinatio S. Gregorii inſtruentis ſemetipſum cum ſe conſideraret ut Deprecatorem & Patronum apud DEUM pro omni Chriſtiano Populo: *Quâ enim fiduciâ* (inquiebat Ille) *pro peccatis alienis interceſſor venio, apud Quem de propriis ſecurus non ſum?* Hinc eſt quòd Sapiens proponit nobis ob oculos, Sacerdotem DEO conjunctum

per Gratiam, acceptum DEO per virtutum ſuarum Sanctitatem, dum ait: *Eccleſ. 44. Ecce Sacerdos Magnus, qui in diebus ſuis placuit DEO & inventus eſt Juſtus*: tum deinde repræſentat Illum ſtantem ante Thronum DEI, ut Pacificatorem & Reconciliatorem: *Ibid Et in tempore iracundiæ factus eſt reconciliatio.*

Quomodonam oro hominum quiſpiam ingerere ſe audeat in adminiſtrationem Sacramentorum JESU Chriſti & effundere ſuper Fideles merita & Sangvinem Iſtius DEI Hominis

minis manibûs contaminatis? Verum eſt equidem quòd non attenta indignitate Miniſtri, Sangvis hic habet ſuum pretium, & inde non dependet Sacramentorum efficacitas. Neq́; etiam quidquam hinc volo concludere in præjudicium Chriſtiani, qui hæc Sacramenta recipit, ſed Sacerdotis à quo illa recipit. Nam ſicut Verbi Divini Præco juxta terribile illud Apoſtoli effatum reprobus fieri poteſt, mundum etiam integrum convertendo: ita accidit (o! cogitationem quæ nos humiles prætermo-

dum reddat Auditores Sacri, & veritatem tantò magis aptam ad nos in animo deprimendos, quantò frequentioribus nimisq́; tragicis exemplîs confirmatam illam ſcimus) ita inquam accidit perſæpè, ut Sacerdos ditando alios ex theſauris Eccleſiæ quos depromit, nihil inde in uſum proprium retineat, & ut Idem Sangvis Sacerrimus quô alios abluit, ſuppeditatq́; venam divitem ex qua debita ſua expungat, inſerviat ad augenda ſua: quodq́; demum offert aliis ut Sacramenta mediaq́; ſalutis il-

lorum, idem fiat ipſi ruinæ occaſio & damnationis materia. Enucleatiùs hanc rem non expono. Pergamus porrò ultra.

Quomodonam oro hominum quiſpiam aſſumat officium judicandi, condemnandi, abſolvendi, exiſtens in ejuſmodi ſtatu diſpoſitioneq́, animæ quæ illum ipſum enormium criminum reum conſtituit? Nam ut Judex ſit iſtoquè fungatur officiô, liber eſſe debet ab omni inordinata animi paſſione, liber ab omni privati negotii commodiq́, proprii ſtudiô, liber ab omni perſona-

rum acceptione, verbô: omni vacans culpâ, quæ illi unde unde posset objici. Hæ utiq́, sunt dotes quas à suis Judicibus ut illîs sint præditi exigit humana Justitia, & hinc inferte Vobis & videte quidnam à Vobis longè potiori Jure exigat Divina Justitia. Id ego meditandum Vobis relinquo, cum interim ipsemet considerationi S. Augustini inhæreo. Expendit hic S. Doctor quarenam DEI Filius noluerit sententiam damnationis ferre, in fœminam adulteram, quam ante Illum statuerant Judæi;

Joan: 8. Nemo te condemnavit? nec ego te condemnabo: & postquàm plures facti hujus exposuisset rationes quæ ordinariè afferri solent: addit demum unam, quæ quantumvis non omnino ex natura rei (ut ajunt) enasci videatur, non ideò tamen mysteriô vacua, nec minùs salutaris instructionis plena est. Ideò id factum ait S. Doctor, nam Salvator mundi onus peccatorum nostrorum in se susceperat, & cum super innocentissimam Personam speciem peccatoris admisisset, non existimabat, congruum

esse constituere se tunc Judicem, sed in aliud id rejecit tempus, postquam jam satisfecisset DEO pro offensis nostris. Præclara sanè instructio Fratres mei, prosequitur S. Augustinus, indè discimus: quinam debeant esse Judices illi quos Deus elegit ut ipsius authoritatem & Justitiam exerceant in Sacro Pænitentiæ Tribunali. Si hi sancti non sint, idest; si reliquis hominibus similes, sunt, si sunt homines virtute debiles, homines animi perturbationibus obnoxii, homines impatientiâ & iracundiâ

se

ſe paſſim ſinentes abripi, homines ſenſuum illecebris ſervientes & ſe ipſos amantes, homines intemperantiis, detractionibus, vindictæ ſtudio & omnibus aliis vitiis ſubjecti, quanam ratione authoritatem Judicum merebuntur? quæ ab illis in proferendis ſententiis incorrupta æquitatis ratio ſperari poterit, quodnam judicium æquum ejuſmodi Miniſtri exercebunt?

Ad extremum quomodonam hominum quiſpiam exemplo proximis ſit in Eccleſia, & pro idea virtutis propo-

ni poſſit, qui vitam ducit non modò ad omnes ſtatus ſui regulas non exactam, ſed eidem planè difformem? Iſtud verò Auditores Sacri unum rebus ex illis eſt. quæ officio cum noſtro, arctiſſimô ac inviolato vinculô colligantur. Cuiquè introſpiciendo pleniùs, Vos quàm maximè intentos velim. Quam nobis Sacerdotum ideam mente effingere debemus, juxta ſenſum, ſpiritum, & figuras in Evangelio expreſſas? Illi faces ſunt quædam ardentes ad illuminandam Eccleſiam: *Vos eſtis Lux mundi.*

Mat-

Matth: 5. Illi Civitates in montium vertice locatæ, quò faciliùs ab omnibus possint conspici: *Civitas supra montem posita*, Illi sal terræ, cujus virtus corporibus communicata, eadem à corruptione præservat: *Vos estis sal terræ*: verbô Illi sunt in Christiano populo: Morum Regulæ sensibus subjectæ & animatæ. Speciosi sanè tituli! sed tituli quibus nisi re ipsa satisfacimus, & quos nisi implemus, non modò non extollunt splendore suo gloriam nostram: sed augent plurimùm ignominiam

am

am noſtram, & in ipſa hominum opinione tanto abjectiùs deprimunt, quantò altiùs extollere debuiſſent. Advertite: ac me attento animo dicentem excipite. Ita ſanè: quicunq́, hominum aſſumitur ad Sacerdotium JESU Chriſti conſiderare ſe ipſum debet ut publicum aliorum exemplar, vivereq́, ad eum modum, velut ſi omnes homines fixos in illum conjicerent oculos, omniumq́, ejus actionum teſtes eſſent. Inducere id ſibi in animũ debet quòd nihil modicũ aut mediocre ſit in illis de-

fectibus in quos labi eum contingit, eò quòd annexum sibi habeant exemplum pravum, & quòd si injuriæ illi illatæ ratione Personæ Sacræ, graviores sunt peculiaremq́; habeant innatam quodammodo sibi malitiam; ad eundem planè modum peccata quæ ipse committit contrahunt indignitatem singularem ex ipsa status ipsius sanctitate. Humiliari illum convenit cum videt alios à gradu Ministerii tam Sancti alienos, æquales sibi in sanctitate, sed tanto magis confundi illum necesse est

cum

cum videt quòd quidam illorum in perfectione, eundem post se relinquant longè. Convictus præterea apud semetipsum hac de veritate esse debet, quòd res plurimæ & tantùm non innumeræ permitti possunt hominibus vitæ institutum longè diversum amplexis, quæ illi sunt prohibitæ, quodquè res ejusmodi parvi pendantur (quantum ad malitiam attinet) in hominibus nuntium sæculo non remittentibus & tamen eædem crimini ducantur ipsi, etiam juxta opinionem sensumq; mundi.

Nam quantumvis profanus ſit mundus, non aliud tamen ferre de rebus ejuſmodi ſolet judicium, quàm ferre ſoleamus noſmetipſi, ſæpeq; majori adhuc cum rigore judicat, quàm nos ipſi; aut ſi hac aut in illa re mundus nos non condemnat, inde eſt, quòd ex nobis noſtroq́; minus regulari vivendi, ac procedendi modo, obtentum quærat excuſandi palmares defectus ſuos, vitiaq; !

Heu! quotnam vicibûs (qua de re ego abſq́; intimo & medullas pervadente dolo-

ris

ris ſenſu cogitare non poſſum, & quem Vos ipſi ut probè novi intimè perſentiſcitis (Auditores Sacri) quot heu! vicibûs Sacerdotum vitia authoritatem conciliârunt ſceleribus? & obtendebantur morum licentiæ ut nomina ſpecioſa? Libera illa morum diſſolutio nec dum ſe in publicum proferre audebat, & quæ clanculum deliteſcebat in tenebris abſcondita, tandem prorupit palam, quàm primùm introductam ſe in ipſum Sanctuarium Domini conſpexit. Nihil aliud expectabat impietas, quàm

quàm ut illi auxiliares quodammodo jungeret copias pra vi exempli vita Sacerdotum; ut hâc fulta fortiùs ſe conſtabiliret & latiùs propagaret. Rudis ſimplexq; populus arbitrabatur tutò ſe hac in parte illos ſequi ac imitari poſſe, quos nôrat Duces ſuos & Anteſignanos eſſe. In omnem vitæ licentiam effuſi protervi homines, id ſibi licere, in praxi etiam concludebant, quod ipſi Legis Sacræ Doctores factitabant. Primi quidem horum fræna tandem laxavêre concupiſcentiis, atq; vitiis illis quæ

horrori ante iiſdem fuerunt. Hi verò confirmatos ſe ſenſerunt in ſcelere, ut illud perpetrarent audentiùs. Exemplum pravum in omnes propagatum eſt. Jam Sacerdotium malè paſſim audiit, & Sacerdotes contemptui ſunt habiti. Ingemuit ad hæc Eccleſia, nec unquam Jeruſalem plorans Sacerdotes ſuos in captivitatem abactos, aut plus lachrimarum effudit, aut intimiori doloris ſenſu afflictam ſe eſſe meminit.

At ſi Sacerdotes populi contemptui adeo miſerè expoſiti unquam fuêre cujuſnam tan-

dem

dem vitiô factum id existimatur esse? Populinè ipsius culpâ? Sed objectioni isti occurrit, responsô suo D. Ambrosius quærens quomodonam vulgus illum veneratione debita prosequatur hominem qui nulla Sacerdotalis sui muneris habita ratione eundem reddit contemnendum, quive ordinario procedendi modô, in nullo discrepat à populo? *Quomodo enim* (verba sunt Doctoris Melliflui) *potest observari à populo, qui nihil habet separatum à populo?* Quid enim oro in illius persona admirari pote-

runt, qui ſe ſuasq́; imperfectiones in illo deprehendunt? *Quid in illo miretur* (pergit S. Doctor) *ſi ſua in illo recognoſcat?* Quonam pactô venerationem debitam impendat illi vulgus in quo hæc advertit, undè justè erubeſcit? *Et ſi quæ in ſe erubeſcit, in eo quem venerandum arbitratur, offendit?* Contra quos igitur magis conqueretur Eccleſia, quàm contra tanti ſcandali authores? Annon jure merito eodem zelô & indignatione ſuccenſa cum Propheta, dictura eſt illis. *Vos autem receſſiſtis de via, & ſcanda-*

liza-

lizaſtis plurimos in lege. Malach. 1. Vos Altaris Miniſtri qui tam verbîs veſtrîs, quàm exemplis & inſtructionibûs datis ſanctificationi eſſe debueratis mundo, dereliquiſtis vias meas & induxiſtis in errores veſtros, plurimos alios necdum benè in ſpiritu confirmatos; deſtruxiſtis manu altera, quod ædificaveratis alterâ, & tot animas quas virtute Sacramentorumq́; efficaciâ renaſci vivereq; in Jesu Chriſto feceratis, morti addixiſtis æternæ converſationis veſtræ peſtiferæ contagione afflatas, famili-

ariq; vobiscum consvetudine perversas. Justa hæc equidem ejusmodi perversis Sacerdotibus fit ab Ecclesia exprobratio, sed exprobratio hæc terribilior evadet si illi DEI viventis terribilissimas hac super re minas adjungamus. Nam si Justitia Divina adeò exacta futura est in exigenda ratione ab omnibus hominibus, quomodonam hi partes munerum officiorumq; suorum sustinuerint, hæc ipsa Justitia comparatione Sacerdotum erit planè rigida. Concrediderat illis JESUS CHRISTUS quidquid carissimum si-

bi in terris habebat, Fratres ſu-
os, Crucis ſuæ pretium, gre-
gis ſui oves. Sanctimoniæ
præceptîs hos illi omnes de-
buerant informare; quid oro
de illis fiet ſi eoſdem corrupte-
larum ſuarum exemplô in o-
mne præcipitaverūt ſcelus? For
tè Auditores Sacri temperanda
eſſet verbi hujus acrimonia,
at relinquamus in ſuo robore
omnem vim quam habet &
efficaciam. Utiq́, nihil illa
Vobis proponet ob oculos
quod non priùs probè intelle-
xeritis, quodve non ſemel
jam amariſſimo planctu defle-
veritis. Iſtud

Istud sanè est quod timorem tremoremq; salutarem incutiebat SS. Viris: quodve nominatim adeò S. Hieronymum perculit, ut is totus contremisceret. Ornamentum erat Ille solitudinis non scandalum; consummatus omni ex parte in Ecclesia, non modò Doctor, sed insuper Idea Pænitentiæ & Sanctitatis. Interim Doctor hic, Pænitens hic, Sanctus hic, totus percellebatur timore, quoties attenta consideratione revolvebat animô, quod: *grandis Dignitas Sacerdotum, sed grandis ruina*

eorum! DEUM laudibûs extollamus de sublimitate Gradûs ad quem nos vocare dignatus est, sed timeamus etiam ad præcipitium illud in quod delabi possumus! *Lætemur ad ascensum*, (ait Idem S. Doctor) *sed timeamus ad lapsum*! Longiùs etiam progreditur S. Chrysostomus: Cujus ego non auderem hìc sensum proponere, si non Ipsemet asseveraret seriò se deliberasse super veritate quam palam protulit. Sic enim Doctor hic Sanctus tam Eloquens quàm solidus in Homilia super Acta Apo-

stool.

ſtolorum ſcribens; *Non temerè* (inquit) *dico, ut affectus ſum ſentio, non arbitror inter Sacerdotes multos eſſe qui ſalvi fiant, ſed multò plures qui pereant.*

Jam quod ex toto hoc ſermone concludendum nobis reſtat, iſtud eſt: quod S. Gregorius nobis commendat. Auſcultate illum & nolite oblivisci ſalutaris illius moniti quod Vobis Auditores Sacri Sanctus hic Doctor tradit. En verba quibûs ſenſum ſuum pandit, & quæ etiam totum Exhortationis iſtius fructum

in se continent. *Timeamus itaq; Fratres mei, timeamus: & illam nobis tantopere necessariam Apostoli Doctrinam applicemus: ut salutem nostram cum tremore operemur.* Timeamus nè posteaquam Sacerdotes Altaris fuerimus, fiamus tandem infelices inferni victimæ, & posteaquam commissam nobis habuimus potestatem super Cælum & terram, evadamus dæmonum mancipia. Ut maledictum hoc effugiamus, satagamus quatenus vita nostra respondeat Ministerio nostro: respondeat sanè Pietas il-

lius,

lius, iſtius Sanctitati. Vultiſne præterea compendium habere omnium munerum obligationumq́; veſtrarum Vobis ante oculos propoſitum? Paucis illud verbîs complexus eſt B. Laurentius Juſtinianus, hæc oro Vos inde vobiſcum aſportate, & frequenti meditatione recolite: *Accedat* (inquit Ille) *Sacerdos ad altaris Tribunal ut Chriſtus: aſſiſtat ut Angelus: miniſtret ut Sanctus: offerat vota Populorum ut Pontifex, interpellet pro pace ut Mediator, pro ſe autem exoret, ut homo.* Approximet altari Sacerdos

ut Jesus Christus, per traditam sibi potestatem, assistat inibi ut Angelus, per reverentiam; ministret ut Sanctus, per vitæ integritatem, offerat vota populi ut Pontifex, per charitatem erga proximum, conciliet pacem ut Mediator, per suum erga gloriam DEI zelum, & pro se exoret ut homo: per humilitatem, & suæ infirmitatis agnitionem. Hac ratione non modò non condemnabitur in die judicii, sed perget exercere Potestatis sibi traditæ officium apud Supremum Judicem, sedebitq; super se-

dem

dem præparatam ſibi, ut judicet cum Chriſto JESU duodecẽ Tribus Iſrael. Comitabitur Salvatorem ſuum in gloria, recipietq; de manu ejus coronam immortalitatis, quam Vobis opto ex animo. In nomine Patris & Filii & Spiritûs Sancti, Amen.

IMPRIMATUR
JOSEPHUS
De Verbno Comes
PAWŁOWSKI
EPISCOPUS NIOCHENSIS. OFFICIALIS GENER: VICARIUS in Spir: & ARCHIDIACON: POSNAN: PRÆPOSIT: INSIGN: COLLEG: S. MAGDALENÆ & Lwowec: &c:

Datt: Posn: 4. *Aprilis A. D.* 1758.